



DE
NARCISSO LITTERARIO

PRAEFATVS

AD ORATIONES IUVENVM

DISCESSVRORVM

OBSEQUIOSE INVITAT

M. IO. GOTTL, BIDERMANN R.

FREIBERGAE,

Litteris IO. CHRISTOPH. MATTHAEI.

XCVII.

QUum nuper in publicis praelectionibus fabulam de Narcisso, OVIDIO duce, a) explicarem, huius exemplo commemorabili vidimus, quanto cum periculo immoderatus sui ipsius amor sit coniunctus. Hic enim, ex nymphea Liriope natus, quum suae aetatis pueros admirabili formae venustate longe antecelleret, non solum à multis puellis efflicim amabatur, sed etiam, pulcritudini suae confusus, spem illarum frivole deludebat. Hae igitur, confociato consilio, grauisssimam Narcisso poenam imprecabantur, ut, sicut ipse omnes spreuisset, ita ille vicissim ab ea, quam aliquando petiturus esset, par pari referri sentiret, neque amore illius potiretur. Et has preces pondus habuisse, euentus docebat. Quum enim Narcissus, à venatione fessus, amoenissimum fontem accederet, ut sitim restingeret, ad limpidissimas illius aquas inclinatus, suamque ipsius imaginem hoc in speculo contemplatus, se ipsum admirari atque amare coepit. Quoniam igitur sui desiderio captus, suaeque umbrae inhians, ab isto fonte auelli non poterat, nullamque huius imaginis potiundae spem relictam videbat, inter adfiduas querelas et planctus continuos misere contabescens, tandem in florem sui nominis mutabatur: quod fatum poeta his verbis describit; b)

*ille caput viridi fessum submitit in herba,
 lumina mors clausit domini mirantia formam.*

Et hanc quidem fatalem exitum Tirestias, vates illius temporis celeberrimus, iam dudum praedixerat, nisi Narcisso mens laeua fuisset. Quum enim mater statim post partum de fortuna huius pueri illum consulisset, c)

*- - - - - an esset
 tempora maturae visurus longa senectae?
 fatidicus vater, si se non nouerit, inquit.*

Itaque Narcissus hac in fabula eos repraesentat, qui caeco sui ipsorum amore abrepti mirifice sibi placent, alios autem alto supercilio fastidiunt et contemnunt. Ita enim ille: d)

*iste ego sum! sensi: nec me mea fallit imago:
 uxor amore mei.*

Qua stolidi persuasione inescatus, pastori Corydoni fere similis videbatur, ita de se glorianti: e)

Non sum adeo informis, nuper me in littore vidi,

itemque

a) Metamorph. L. III. Fab. 6. b) l. c. vers. 502. c) Ouid. Metam. L. III. Fab. V. 347. d) l. c. Fab. VI. 463. e) Virgil. Eccl. II, 25.

itemque Polyphemo, qui Galatæe sese commendaturus, his verbis superbiebat ; f)

*certe ego me noui, liquidæque in imagine vidi
nuper aquae, placuitque mihi mea forma videnti:
adspecte, sive quantus, non est hoc corpore maior
Iuppiter in caelo.*

Quemadmodum autem Narcissus, dum nimium sibi placebat, contabuit, et ipse et falsa eius imago periiit: ita omnes, qui eum sequuntur, tandem ludibrio exponuntur, et perniciem sibi comparant sero poenitentiam. Et inprimis quidem hoc vitium iis non solum infidiatur, sed etiam familiare est, et turpissimam maculam adspargit, qui litteris operantur, et ingenii gloria alios antecellunt. Qua mente ALCIATVS hanc fabulam concine ad iuuenes litterarum studiosos adcommodat hoc epigrammate: g)

*Quod nimium tua forma tibi, Narcisse, placebat,
In florem et noti es versa stuporis olus.*

*Ingenii est marcor cladesque philautia, doctos
quæ pessum multos datque deditque viros.*

Qui enim illud vitæ genus ingressi sunt, quod in perscrutandis rebus diuinis atque humanis versatur, ut ignorantiae ac errorum tenebrae expellantur, illi facile et opinione citius eo se abripi patiuntur, ut vehementer sibi placeant, gloriose sua iactent, et alios insolenter contemnant, nihil rectum putantes, nisi quod ab ipsis fuerit profectum. Nunquam enim defuerunt neque adhuc defunt huiusmodi Narcissi, qui intemperanti sui amore fascinati suam scientiam ubique ostentant, virtutes suas perpetuo crepant, magnificos titulos prae se ferunt, quibus ab aliis ornantur, merita sua nullo non loco ebuccinant, commercium cum vitiis eruditus iactitant, sui ingenii fetus omnibus commendant, aliorum laudes aegre audiunt, suis autem mirifice delectantur, sibi omnia, aliis nihil tribuunt, et singularis doctrinae monumenta magno hiatu promittunt. Hoc scilicet istud est vitium, quod ab HORATIO adpellatur. h)

caecus amor sui

Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem:

imo huius generis Narcissum idem poeta his verbis loquentem inducit: i)

noris nos, docti sumus.

*Si bene me noui, non Viscum pluris amicum
non Varium facies: nam quis me scribere plures
aut citius posset persus? quis membra mouere
mollius? inuideat quod et Hermogenes, ego canto.*

Ne

f) Ouid. Metam. L. XIII. Fab. VIII. 840.

g) Emblem. LXIX.

h) L. I. Od. 18.

i) L. I. Sat. VI.

Ne quis vero existimet, nos tales Narcissos fingere, quales iam delineauimus, facili negotio testes idoneos eosque plurimos in medium proferre possemus, suo suffragio hoc comprobantes. Satis tamen habebimus, ad tres prouocare, qui instar multorum esse possunt. Primus sit Megalander LVTHERVS, nunquam sine honore adpellandus, qui uti in aliis vitiiis tam candide indicandis quam seuerè castigandis nihil dissimulat, ita etiam proprii amoris foeditatem, qui litterarum cultoribus inprimis infidiatur, graphice depingit, istosque Narcissos omnium risui atque ludibrio exponit. Ita vero ille: k) *Laessest du dich düncken, du habest es gewiß, und küzest dich mit deinem eigenen Büchlein, Lehren, oder Schreiben, so greif dir selbst an deine Ohren, und greifest du recht, so wirst du finden ein schoen paar grosse lange rauche Felsöhren. So wage vollends die Kost daran, und schmücke sie mit güldenem Schellen, auf das, wo du gehest, man dich hoeren koenne und sagen: Seht? da geht das feine Thier, das so koestliche Bücher schreiben, und so trefflich predigen kan!* Cum hoc fere similia sentit AVG. BVCHNERVS, his verbis Narcissos litterarios notans: l) *Multos inuenire hodie est, qui summam eruditionis in nescio quo fastu rigidoque supercilio ponunt, et, dum ceteros tropice fastidiunt, tyrannos litterarum se somniant et Musarum Pompilios nouos.* His iungimus testem Francogallum, MOLIERIVM, qui id sibi datum putauit, ut inualescentia suae aetatis vitia saepe mordaci conspergeret, eaque, larua detracta, proponeret publice exhibilanda. Et his quidem coloribus Narcissum litterarium depingit: m)

*depuisque dans la tête il s' est mis, d' être habile,
rien ne touche son goût, tant il est difficile,
il veut voir des défauts à tout ce, qu' on écrit,
et pense, que louer n' est pas d' un bel esprit,
que c' est être sçavant, que trouver à redire,
qu' il n' appartient qu' aux fots, d' admirer et de rire,
et qu' en n' approuvant rien des ouvrages du tems,
il se met au dessus de tous les autres gens,
et le deux bras croisés du haut de son esprit
il regarde en pitié tout ce, que chacun dit.*

Alio autem loco idem Satyricus huius surfuris homines in scenam producit, has ampullas proicientes: n)

*Nous sommes par nos loix les juges des ouvrages.
Par nos loix Prose et Vers, tout nous sera soumis.*

Nid

k) Praefat, Tom. I Ien.

l) L. I. Ep. 72.

m) dans le Misantrope.

n) dans les Femmes sçavantes.

*Nul n' aura de l' esprit hors nous et nos amis.
Nous chercherons par tout à trouver à redire,
et ne verrons que nous, qui sache bien écrire.*

Ne vero umbram sine corpore persequi videamur, exemplis ea nunc confirmemus, quae praemissa fuerunt. Et ex Iudaeorum quidem numero, quae gens, poeta teste, o)

est nimis in laudes ingeniosa suas,

merito R. IOCHANAN, Ben Saccai, Narcissis litterariis accensetur, qui imperante Vespasiano vixit, et non minus doctrina quam dignitate inter suos effulsit. Quantum enim hic sibi ipsi arrogauerit, ex eo intelligimus, quod in *Bereschit Rabba* p) his verbis de eo narratur: ריבו היה מקלם עצמו ואמר אם כל השמים היו רישיה וכל בני אדם לבלרון וכל היערים קרלמוסין אינם יכולים לכתוב כל מה שלמדה: h. e. R. Iochanan Ben Saccai seipsum his verbis laudabat: *etiamsi omnes coeli essent vela, omnes homines scribae, et omnes sylvae calami, tamen non possent omnia ea describere, quae ego didici.* Huic iungimus Grammaticum Romanum celeberrimum, REMMIVM PALAEMONEM, Vicentinum, qui, *Suetonio* teste q) tanta arrogantia inflatus fuit, ut natas secum et morituras litteras iactaret, certo persuasus, nomen suum in *Bucolicis* Virgilii r) non temere positum esse, sed poetam ominando praefragiisse, se aliquando omnium poetarum principem et poematum iudicem fore. In primis autem poetas immoderato sui amore insolescere, et, quo longius ingenio alios antecedunt, eo magis sibi placere, iam dudum ii perspexerunt, qui in libris eorum peruolutandis verlantur. Testis est *Catullus*, qui SVFFENVM, poetam suae aetatis inficetum, sed sui amore fascinatum, non solum veluti alterum Narcissum depingit, sed etiam in ceteris poetis hoc vitium reprehendit, canens; s)

neque idem unquam

aeque est beatus, ac poema quum scribit,

tam gaudet in se, tamque se ipse miratur.

Nimirum idem omnes fallimur, neque est quisquam,

quem non in aliqua re videre Suffenum

possit. Suus cuique attributus est error:

sed non videmus manticae, quod in tergo est.

Neque MARTIALIS hanc de se suisque carminibus opinionem dissimulat, hoc glorians modo: t)

Ore legar multo, notumque per oppida nomen

Non expectato dat mihi fama rogo.

Et

o) *Iuvenal.* VI. 546.

r) *Eclog.* III.

p) cap. XV.

s) *Epigr.* XXII.

q) de *illustr. Grammat.* cap. XXIII.

t) L. III, *Epigr.* 95.

Et quam magnifice CORN. GALLVS, poëta atque orator aëuo Augusti
haud ignobilis, de se senserit, his verbis ipse testatum facit: u)

Orator toto clarus in orbe fui.

Quantum autem gloriae LVCANVS ex suis carminibus sibi promiserit,
publice monstravit, canens: w)

*Quantum Smyrnaei durabunt vatis honores,
venturi me teque legent, Pharsalia nostra
vivet, et a nullo tenebris damnabitur aëuo.*

Non solum autem veteres, doctrinae laude florentes, hoc morbo laborarunt, sed recentiori etiam aetate post restauratas litteras elegantiores multi cum hac bonae mentis peste conflati. Quis dubitet, THEOPHRASTO PARACELSO inter Narcissos litterarios locum adsignare, sapientiam suam his verbis ostentanti: x) *Das solt ihr Herren wissen, das geringste Haar meines Kopfes weiß mehr, als ihr und alle eure Autores. Meine Schubriemen sind gelehrter, denn euer Galenus und Avicenna, und mein Bart hat mehr erfahren, als alle eure Academisten. Ia ich will die Stunde noch erleben, dass ihr mir alle werdet folgen müssen, alle ihr Araber, Griechen, Lateiner, Franzosen, Italiaener, Deutschen und Pohlen. Ich werde der Monarch unter euch seyn, und eure Lenden gürtlen.* Talis etiam fuit HIERON. CARDANVS, Mediolanensis, multis quidem, quos luci publicae exposuit, libris clarus, sed homo, *Paravicino teste*, y) ventosi ingenii, opinionibus suis supra modum addictus, et id unice agens, ut omnibus admirationi esset: quod eius liber de vita propria testatur, narratiunculis portentosissimis refertus: quippe qui, *Thuano iudice*, z) sui amore adeo captus fuit, ut inaudita in viro litteras professo libertate, plura de se scriberet, quam curiosus quisquam exigeret. Vt fidem dictis faciamus, elogium videamus, quod sibi ipse Cardanus fecit: a)

Me non terra regit, caelo sed raptus in alto

Illustris viam docta per ora virum,

Quicquid venturis spectabit Phoebus in annis,

Cardanus noscet nomen et usque meum.

Neque immunis ab hoc vitio fuit IVSTVS LIPSIUS, qui vastam suam doctrinam immoderato sui ipsius amore pessime conspurcavit. Namque non solum *se belle et mundule scribere*, confitetur, b) sed etiam in epistola ad *Io. Woverum* data c) ornamenta sua his verbis ostentat: *corpus et facies*

u) Eleg. l. 10.

w) de Bell. Pharsel. l. IX. 985.

x) Hornbeck in Summa

controvers. p. 401.

y) Singularia de viris eruditione claris, p. 92.

z) Histor. P. IV. Tom. IX. ad an. 1576.

a) Theoph. Dasskander in

Descript. urbium Ital. p. 69.

b) in Gentur. singulari Epist. ad Germ.

Epist. 68.

c) Epist. Miscell. Centur. Ep. 87.

facies est mihi non indecora, os probum, animus verecundus, ingenium docile et capax omnium, iudicium colligans et rectum, memoria non sine magistrorum miraculo etiam in puero, eloquentia pronta, nec sine Venere, etc. Eundem vero, ad quem haec scripsit, WOWERIVM, his maculis fuisse conspersum, ex eo adparet, ubi gloriatur, d) uniuersam Frisiam se non capere, alio autem loco iactat, e) occasionem, ab se discendi, nullo vel auro vel argento redimi posse. Cum his in se praedicando societatem fecisse videtur IVST. IOSEPHVS SCALIGER, criticus non minoris famae quam dignitatis. Quid enim hic de se senserit, ex his sui ipsius testimoniis intelligemus: hoc ego possum gloriari, me nihil ignorare. f) Disputationem pulchram hodie absolui, et multa praeclara cogitavi, quae nemini unquam in mentem venerunt. g) Qui vaudra faire une chronologie, il faudra se gouverner selon la mienne. h) Delrio au prix de moi ne sçait rien. i) On dit, que je suis Grammairien, oui, vrayement je le suis, et bon avec. k) Plus praestiti in lingua Latina, sine veteribus codicibus, quam ceteri omnes cum iis. l) Nullus est in tota Gallia, qui laboris mei iudicium ferre possit. m) Nemo est, qui Tertullianum tam bene intelligit, atque ego. n) Quis, quaeso, haec legens, impudentiam hominis non detestetur, cum poeta exclamans: n) at pulcrum est, digito monstrari, et dicier: hic est!

Hunc numerum Narcissorum litterariorum auget CLAVD. SALMASIVS, cuius ostentatio ex iis elucet, quae Colomesius de eo narrat: o) Messieurs Gaulmin, Saumaise, et Maussac se rencontrants un jour à la Bibliothèque Royale, le premier dit aux deux autres: je pense, que nous pourrions bien tous trois tenir tête à tous les Sçavans de l'Europe. A quoi Msr. de Saumaise repondit: joignés y tout ce, qu'il y a de Scavans du monde, et vous et Msr. de Maussac, je vous tiendrai tête moi seul. Eandem ad caueam referendus est IO. IOVIANVS PONTANVS, vir multae doctrinae, sed adeo mordax, et sui opinione inflatus, ut non modo homines sibi notos, sed etiam uniuersarum gentium mores acerba scribendi libidine perstringeret. Quam animi indolem in ipso epitaphio celare non potuit, quod sibi fecit: Sum Iouianus Pontanus, quem amarunt Musae, suspexerunt viri probi, et honestarunt reges ac domini. p) IO. DRVSIVS vero, quantam eruditionis famam sibi comparauerat, tantam iactantiam publice prodebat, nomen diuini Grammatici sibi arrogando, q) imo adeo pertinax suarum opinionum defensor erat, ut saepe iuramento, quum aliter non posset, veritatem earum ad-

d) Centur. I Ep. 2.

e) l. c. Ep. 13.

f) Scaligerana p. 26.

g) l. c. p. 87.

h) l. c. p. 92.

i) l. c. p. 122.

k) l. c. p. 209.

l) l. c. p. 240.

m) l. c. p. 286.

n) Pers. Sat. I, 25.

o) Cimel. litterar. p. 99.

p) Paravicini Singular. p. 54.

q) Popeblount Censur. p. 887.

adfeueraret. r) His ad extremum IO. SACHSIVM adiungimus, poetam
suae aetatis haud ignobilem, qui ipse suae imagini, aere a Luca Kiliano ex-
pressae, hos rhythmos subscripsit:

*Zu Nürnberg bracht ich für manche Gedicht,
Die auf poetisch sind zugericht,
Zu spielen, singen und zu lesen,
Von geistlichen und weltlichen Wesen,
Doch alles deutsch, lustig und schon.
Es hats uns keiner gleich gethon.*

Hanc igitur solidae eruditionis pestem et hoc verae sapientiae impedimen-
tum iuvenes bonae mentis eo circumspectius fugiunt, quo adcuratius et for-
mam et finem studiorum contemplantur. Nam, quae PLVTARCHI est
sententia, s) ὄσω μᾶλλον ἀπτονται τῆ λογῆ, μᾶλλον τὸ ὄημα καὶ τὸν
τυφλὸν κατατιθέντες, quo magis doctrinae se tradunt, eo magis fastum atque
arrogantiam deponunt. Imo ea mente SENECAE monitum sibi dictum
putant, his verbis aurem vellicantis; t) multi ad sapientiam peruenirent,
nisi se iam peruenisse putarent.

Talem studiorum rationem iagressi duo illi optimorum parentum
optimi filii, qui iam abitum ex nostro gymnasio parant, tam faustis auspi-
ciis adoleuerunt, ut spem eximiam de iis concipere possimus. Ante vero
quam discessionem faciant, diligentiae specimina et pietatis suae testimonia
publice exponere decreuerunt. Et alter quidem

IO. GOTTLOB BVRKARD, Tanneberg. Mifn.

sermone Latino de variis hominum studiis sata futura praenoscendi exponet.
Alter autem

IO. GOTTLOB BEYER, Freiberg.

oratione Gallica sapientiam DEI in occultandis satis futuris conspicuam
admirabitur. Quo facto et suo et commilitonum nomine amicitiam abituris
Io. Aug. Klemm, Oberbobr. Mifn.
gratulando probabit, verbis Germanicis de superstitione scholas infestante prae-
fatus.

Non est, quod dubitemus, quin VOS, litterarum statores, humanitatis
cultores, et scholae fautores, Vestrum erga studia animum propensum
etiam hac occasione declaraturi, et cras, hora ante meridiem nona, officina-
nam nostram exoptatissima Vestra praesentia cohonestaturi, nostros autem
auditores beneuola audientia sitis dignaturi. Quo facto nos non minus ad
omnis generis obsequia deuincietis, quam nostros litterarum alumnos ad colen-
da studia militiae litterariae et gloriae denuo accendetis. P. P. Freibergae,
d. XII. Mart. MDCCLXI.

r) Abel Curiander in vita Druf. p. 21.

s) de discrim. adulat. et amic. p. 8r.

t) de tranquillit. c. 1.

Yb 627

ULB Halle

001 508 164

3



(811148)

TA → OL







DE
NARCISSO LITTERARIO

PRAEFATVS

AD ORATIONES IUVENVM

DISCESSVRORVM

OBSEQVIOSE INVITAT

M. IO. GOTTL, BIDERMANN R.

FREIBERGAE,

Litteris IO. CHRISTOPH. MATTHAEL.

XCVII.

